

judicio in generali synodo compeditus. Nobis sane, et omnibus qui Turonis nobiscum Deo propitiante convenerunt, liquido paruit, et legis et Evangelii et sanctorum canonum documentis, nullam solvendi quem nos ligavimus fraternitati vestræ suppeteret potestatem. Unde et filium nostrum Francorum regem, donec Deo in nobis et sanctæ Romanæ Ecclesiæ satisfaciatur, excommunicatum asserimus, et tam episcopos, quam alios quoslibet ei pertinaciter communicantes esse sancimus, et privilegium potestatis amittere, si quis in ejus absolutione inconcessa abuti præsumpserit potestate. De cætero universos vos Arelatem (45) in octavis apostolorum Petri et Pauli ad concilium, omni seposita occasione, invitamus.

CLXXXVIII.

Bulla Urbani papæ II pro monasterio Novo Pictaviensi. — Monasterium Novium, cujus ecclesiam dedicaverat, sub sedis apostolicæ protectione suscipit, illudque Cluniacensi monasterio subjicit.

(Anno 1096.)

[DOM MARTENE, *Thesaur. Anecd.* I, 267.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo fratri HUGONI, Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad hoc nos, disponente Domino, in apostolicæ sedis servitium promotos agnoscimus, ut ejus filiiis auxilium implorantibus efficaciter subvenire, et ei obediētes tueri ac protegere, prout Dominus dederit, debeamus. Unde oportet nos venerabilibus locis manum protectionis porrigere, et servorum Dei quieti attentius providere. Proinde venerabili monasterio quod bonæ memoriæ Guillelmus, Pictavorum comes, in ipsius urbis suburbio, ad honorem beatæ Mariæ semper virginis, et sanctorum apostolorum Joannis et Andreæ construxit, nos tam pro ejusdem domine nostræ, et sanctorum apostolorum devotione, quam pro tuæ religionis eximie dilectione, hujusmodi privilegium ex benignitate sedis apostolicæ indulgemus. Statuimus enim ut quæcunque bona, quæcunque possessiones supramemoratis comes, seu fideles alii de suo jure eidem monasterio contulerunt, et quæcunque hodie juste possidet, sive in futurum juste et canonice poterit adipisci, firma semper et illibata permaneant, tam a te quam ab eis qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore, sine inquietudine aliqua possidenda, regenda ac disponenda, sicut a prædecessore nostro sanctæ memoriæ Gregorio VII juxta petitionem supradicti comitis institutum est. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Item constituimus ut, obeunte abbate, non alius ibi quæcunque obreptionis

astutia vel violentia præponatur, nisi quem tu tuique successores secundum timorem Dei elegeritis. Electus autem a Pictaviensi episcopo consecratur, omni professionis exactione seposita. Consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes monachorum sive clericorum, qui ad sacros fuerint ordines promovendi, ab eodem episcopo accipiant; siquidem gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere: alioquin, liceat eis catholicum quem maluerint adire antistitem, et ab eo consecrationum sacramenta suscipere. Quia vero ejusdem monasterii ecclesia, largiente Domino, nostris est manibus consecrata; hoc quoque presenti capitulo subjungimus ut nec episcopo, nec episcopi ministerio cuiquam facultas sit temere citra nostram vel legati nostri licentiam in locum illum excommunicationis proferre sententiam, quatenus et abbates ejus et monachi, ab omni servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti, in sancta religionis observatione seduli, quietique persistent, nec ulli alii nisi abbati Cluniacensi aliqua teneantur occasione subjecti. Si qua sane ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subjaceat; cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hi fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen

Datum apud Angeliacum per manum Joannis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis, vii Idus Aprilis, indictione iv, anno Dominicæ Incarnationis 1096, pontificatus autem domni Urbani secundi papæ ix.

CLXXXIX.

Bulla pro monasterio Sancti Martialis Lemovicensis.
(Anno 1096.)

[BALUZ., *Miscell.* edit. Luc., II, 478.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio ADEMARO, abbati Lemovicensis cœnobii quod in honore beati Martialis ædificatum est ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Ad sollicitudinem ac benignitatem apostolicæ sedis pertinet et religionem augere et religiosi locis sive personis auxilium suæ protectionis impendere. Quamobrem devotioni tuæ, fili in Christo charissime Ademare abbas, non minimum gratulamur quod in Beati Martialis apud Lemovicas monasterio per te potissimum, præcepto scilicet atque industria reverentissimi Hugonis Cluniacensis abbatis, religionis

(45) Nemausi celebratum fuit mense Julio, anno 1096.

status largiente Domino instauratus est. Quam in-
 stauratorem per beati et apostolici confessoris Mar-
 tialis merita augeri et proveli cupientes, per præ-
 sentis decreti paginam stabilimus locum ipsum sicut
 hodie est, et sicut ab episcopo atque canonicis Le-
 movicensis Ecclesiæ noscitur institutum, semper
 sub disciplina, dispositione et custodia Cluniacensis
 abbatis persistere, et ut obeunte abbate nullus ibi
 qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur
 nisi quem præfatus Cluniacensis abbas illic vel suc-
 cessores ejus secundum Dei timorem elegerint. Quia
 vero disponente Domino et sancti ejus confessoris
 dignatione factum est ut per nos ipsos ejus tumulum
 visitare et loci ipsius ecclesiam in honore sancti
 Salvatoris consecrare meruerimus, nos pro ejusdem
 confessoris apostolici devotione et reverentissimi
 confratris nostri Hugonis abbatis dilectione, pro
 tuæ etiam religionis petitione, et monasterium ipsum
 et quæcunque ipsius sunt sub tutela apostolicæ sedis
 perpetuo conservanda suscipimus; in quibus hæc pro-
 priis nominibus duximus exprimenda. In Lemovi-
 censi pago monasterium Sanctæ Valeriæ, Sancti
 Valerici, Sanctæ Mariæ, quæ vocatur Subterranea,
 capellam de Buxo, ecclesias de Valera, videlicet
 Sancti Sulpitii, Sanctæ Mariæ, Sancti Martini,
 ecclesiam Sancti Martialis de Rociaco, Sanctæ Mariæ
 de Claravalle, apud Pairac ecclesias Sancti Martini
 et Sancti Dionysii, item Sancti Dionysii de Murs,
 Sanctæ Mariæ de Roera, Sancti Petri de Parazol,
 Sancti Silvani de Castel, Sancti Martialis de Rot,
 Sancti Martialis de Roser, Sancti Petri de Vernol,
 Sancti Alpiniani de Tarne, Sancti Martialis de Ma-
 nave, abbatiam Sancti Petri Vosiensis, monasterium
 Sancti Pardulfi de Arnaco, capellas de Colret et de
 Monzac, ecclesiam de Sirac, Sanctæ Mariæ Mag-
 dalenæ de Quadris, Sancti Martialis de Cosei, ca-
 pellam Sancti Michaelis quæ dicitur Anteanæ, et
 castellum vestro monasterio circumscriptum cum uni-
 versis pertinentiis suis, sicut illud religiosus impe-
 rator Hlodovicus beato Martiali tradidisse cognosci-
 tur. In Santonensi monasterium Sancti Martialis
 apud castrum Colesium, Sancti Petri de Monte
 Andro, Sancti Martini de Saliono, Sancti Salvatoris,
 quæ dicitur Vita æterna, Sancti Petri de Anesio,
 ecclesiam de Doaz. In Arvernensi ecclesiam Sancti
 Martini de Vernojol. In Bituricensi monasterium
 Sancti Martialis apud Rosiacum, ecclesiam Sancti
 Leodegarii de Malvera, Sancti Martialis de Duno.
 In Pictaviensi apud castrum Monmorde ecclesiam
 Sancti Martini de Monzac, et juxta castellum novum
 beati Martialis ecclesiam. In Rutenensi ecclesiam
 de Teucia, Sanctæ Mariæ de Panesa, Sancti Mar-
 tialis de Rivo petroso. In Biterrensi ecclesias de
 Laurene et de Paimolo. In Narbonensi ecclesiam
 Sancti Cassiani. In Petrogoricensi monasterium
 Sancti Martialis apud Palnatum. In Engolismensi
 ecclesiam Sancti Martialis de Multene et de Cantra-
 zac, et capellam in silva Biarga, et aliam in bosco
 Nigreto, et Sancti Hilarii in castello de Roca. In

A Burdegalensi ecclesias Sancti Petri de Tortirac et
 de Fornel et de Petrasicta. In Diensi ecclesias San-
 ctæ Mariæ de Sermea et de Soant cum pertinentiis
 et appendiciis suis. Quæcunque præterea in præ-
 senti vestrum cœnobium juste possidet, sive in fu-
 turam juste atque canonice poterit adipisci, firma
 vobis vestrisque successoribus et inlibata perma-
 neant.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat
 idem monasterium temere perturbare, aut ejus pos-
 sessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel
 temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra
 conserventur eorum pro quorum sustentatione et
 gubernatione concessa sunt usibus omnimodis pro-
 futura. Salva Lemovicensis episcopi canonica reve-
 rentia, siquidem catholicus fuerit et gratiam et
 communionem apostolicæ sedis habuerit. Alioquin
 quoad forte, quod absit, Lemovicensis ecclesia
 pastore caruerit, vobis vestrisque successoribus li-
 ceat ordinationum sive consecrationum quarumlibet
 gratia catholicum quem malueritis episcopum adire
 et ab eo quæ sunt opportuna suscipere. Item con-
 stituimus ut secundum antiquæ consuetudinis modum,
 absente episcopo, Beati Martialis abbas præcipue
 cum majoribus canonicis Lemovicensis ecclesiæ
 curam gerat, et episcopalis electio ex ejus potissi-
 mum arbitrio disponatur. Præsentem quoque episcopo,
 non sine ejusdem abbatis consilio graviora ipsius
 ecclesiæ negotia peragantur. Hoc quoque præsentem
 capitulo subjungimus ne pro communi parochiæ in-
 terdicto vel excommunicatione monasterium vestrum
 interdicto excommunicatione subdatur, ut tamen
 excommunicati illic vel interdicti nequaquam ad di-
 vina officia admittantur. Si qua sane ecclesiastica
 secularisve persona hanc nostræ constitutionis pa-
 ginam sciens, contra eam temere venire tentaverit,
 secundo tertiove commonita, si non satisfactione
 congrua emendaverit, potestatis honorisque sui di-
 gnitate careat, reamque se divino iudicio existere
 de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo
 corpore ac sanguine Dei et Domini nostri Redem-
 ptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo
 examine districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem
 eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri
 Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis
 percipiant et apud districtum iudicem præmia æternæ
 pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Datum Sanctonis per manum Joannis, sanctæ
 Romane ecclesiæ diaconi cardinalis, non Idus Aprilis,
 indictione iv, anno Dominicæ Incarnationis 1097,
 pontificatus autem domini Urbani secundi papæ ix.

CXC.

*Urbani II papæ epistola ad Raimundum Ausciensem
 archiepiscopum. — Adversus clericos qui cœmete-
 rium S. Orientii violaverant.*

(Anno 1096.)

[DOM BOUQUET, *Recueil*, t. XIV, p. 725.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto
 fratri RAIMUNDO, Auxiensis archiepiscopo, salutem et
 apostolicam benedictionem.